quoniam dictus textus Cõcilij in verbis ſę pe relatis, Ordinario nuncupatim concedit hanc facultatem, nec nominatim loquitur tã tum in Epiſcopo, ſed in Ordinario, quod nõ men generalius eſt, comprehenditque tam ipſum Epiſcopum, quam Prouiſorem, ſeu Vicarium generalem, quia hic Ordinarius eſt, Ordinariamque habet iuriſdictionem, vt in titul. de offic. ordinar. eſtque de ſe notiſsimũ & præterea probatur in quàm pluribus eiuſdem Concilij decretis loquentibus de Ordinariis locorum, & præcipue. Seſſ. 6. in cap. de Reformat. & alibi ſępiſsime, quibus plura facienda committuntur, ac mandantur: & tamen certiſsimum eſt, id non tantum ad Epiſcopos, ſed & ad eorũ Prouiſores, ſeu Officiales generales ſpectare: nam ſi aliud diceremus, eſſet ineptiſsimũ. Dequa re videat Parochus fratrem Emanuelem. 1. p. Summę cap. 212. per totum. ¶ Aduertat etiam Parochus ex Scoto in. 4. diſt. 26. lit. M. ꝙ cõtrahentes ſunt ſibi inuicem Miniſtri Sacramenti Matrimonij, & ita communiter tenẽt Doctores. At circa materiam & formam huius Sacramenti aduertat id quod docet Doctiſsimus Epiſcopus Ioſeph Angles in ſuis floribus